

181. Igitur cultus disparitas inter personam catholicam et acatholicam habetur ceu impedimentum impediens matrimonium ex jure communi procedens. Quare *matrimonia mixta* solummodo fieri possunt licita ex dispensatione Pontificis, qui conditionibus impositis removet damna et pericula, quæ ordinarie loquendo, comitantur hæc mixta matrimonia.

182. Si quæeratur quænam conditiones requirantur ab Ecclesia ut admittantur mixta matrimonia, respondemus, antiquitus requisitam fuisse promissionem conjugis hæretici amplectendi fidem catholicam. Ita Conc. Nicænum can. 53. et Concilium Chalcedonense can. 12.

Aucto autem periculo perversionis catholicorum, inductum fuit ut matrimonium non permitteretur, nisi pars hæretica hæresi renunciasset. Cf. Cardinalis Petro in cit. Comm. nn. 14. seqq.

183. At ob varias temporum et locorum exigentias, factum est ut S. Sedes per organum Sacræ Congregationis supræ Inquisitionis, vel ipsa eadem concederet dispensationes, vel indulta tribueret Episcopis ad dispensandum in matrimoniis mixtis. Attamen nonnullas conditiones sub fide juramenti exegit.

1<sup>o</sup>. Ut absit periculum perversionis conjugis catholici. Hinc pars acatholica promittere debet, se non esse prohibituram ullo modo conjugii catholico, quominus religionis suæ officia plena libertate adimpleat.

2<sup>o</sup>. Ut filii omnes sive masculi sive fœminæ, ex matrimonio nascituri educentur in catholica religione. Hinc reprobatur pactum licet solummodo tacitum inter conjuges, educandi masculos in religione patris, fœminas vero in religiosa professione matris. Pars enim catholica vi hujus pacti positive promovet propagationem hæresis, et filios suos exponit periculo damnationis æternæ.

3<sup>o</sup>. Tertia conditio est ut conjux catholicus juxta principia charitatis christianæ spondeat se curaturum pro sua parte et viribus, ut pars hæretica vel schismatica catholicam fidem suscipiat.

184. Binæ priores conditiones præ oculis haberi præcipue debent ab illis qui facultatibus a sede apostolica delegatis utuntur, et dispensant in matrimoniis mixtis.

Verum ob contrarias leges a Guberniis latas Ecclesia ad graviora mala vitanda toleravit ut juramentum non præstaretur a contrahentibus, tum circa secundam, tum quoad tertiam conditionem, sed sola promissio sufficeret. Ad rem facit *Instructio*

*Secretariæ Status* diei 15. Nov. 1858 ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos etc.

185. Præter relatas conditiones requiritur etiam gravis causa, ut dispensatio concedi tuto possit.

186. Hæc matrimonia autem mixta juxta literas Pii VI. ad Archiepiscopum Mechliniensem diei 13. Julii 1783, posita etiam dispensatione celebrantur extra Ecclesiam sub quo nomine etiam sacristia comprehenditur. Parochus autem matrimonio assistens absque sacris vestibus, negative se habere debet, idest neque nuptiis benedicere potest, neque ullam recitare orationem. Quod si celebretur matrimonium mixtum absque dispensatione, Parochus rigore juris teneretur abstinere sese etiam a passiva assistentia præstanda. Verum ob majora mala quæ timeri possunt ex parte Gubernii laici, concessum est Parochis, ut passive ac veluti invitati istis matrimoniis assistant, quando ex lege status civilis cogantur adstare. Conferri possunt *Epistola Pii VI. a. 1783. Instructio S. Univers. Inquisitionis* et plures responsiones ejusdem, præsertim resolutio diei 20. Dec. 1838.

## TITULUS II.

### De desponsatione impuberum.

1. Impuberes in jure dicuntur qui nondum in ætate constituti sunt in qua præsumuntur habere potentiam ad proles generationem. Aetas autem hæc pro masculis est annus 14 completus, pro fœminis vero annus 12 pariter completus.

Præsens titulus complectitur tum sponsalia, tum matrimonia impuberum. Primo loco agemus:

#### De sponsalibus impuberum.

2. Quænam ætas requiritur ad contrahenda sponsalia de futuro? Sponsalia possunt contrahi post completum septennium. Quia ad ea contrahenda requiritur sufficiens usus rationis, qui non præsumitur haberi ante septennium. Cf. capp. 4. 5. et 13. h. t.

3. Hinc parentes possunt utique pro filiis ante septennium sponsalia contrahere, sed ut ea juridicum valorem habeant, necessaria est ratihabitio filiorum, quam præstare possunt, cum usum rationis adepti sunt, cap. un. h. t. in VI. Filii hanc ratihabitionem præstare tenentur ex debito honestatis et reverentiæ erga parentes

non autem absolute; et per consequens nisi præstiterint, sponsalia non sustentur. Ita explicandum est cap. 1. h. t. juxta gloss. in eodem cap. verb. *debet*.

4. Quod si vero *malitia suppleat ætatem*, idest si sufficiens prudentia et rationis usus de facto in aliquo puero vel puella reperiatur ante septennium, docent Juristæ contracta sponsalia ante septennium sustineri. Nam substantiale requisitum ad contrahenda sponsalia est, ut contrahens intelligat quid agat et cognoscat vinculum obligationis, quod suscipere vult.

5. Proprium vero est sponsalium impuberum 1º. ut ante ætatem pubertatis solvi non possint etiam ex mutuo dissensu c. 7. h. t. Jus ita disposuit ut obviaret inconstantia et temeritati illius ætatis et impediret quominus plura sponsalia contraherent, pluresque foverent amores.

6. 2º. Proprium est ut completa pubertate, non solum possint dissolvi ex mutuo dissensu, sed etiam alteruter possit libere resilire, licet altera pars sit invita.

In istis siquidem sponsalibus unaquæque pars contrahens præsumitur contractui adicere implicitam hanc conditionem: nisi adepta pubertate a data fide resiliero, cap. 10. et 11. h. t.

Notandum est necesse non esse ut utraque pars ad pubertatem advenerit, sed qui prior pubertatem adeptus est, potest illico a sponsalibus resilire, nec tenetur expectare donec altera pars fiat pubes cit. c. 7. h. t. § *si vero hic*.

7. Hoc vero privilegium conceditur impuberi non solum quando cum impubere contraxit sponsalia, sed etiam quando contraxit cum pubere, quo in casu pubes contrahit obligationem perpetuam, ita ut altera parte invita, non possit datam fidem frangere; impubes vero debet resilire a sponsalibus statim ac pubertatis annos attigerit.

8. Quodsi impuberes, puberes facti, rata habeant sponsalia, non amplius possunt ab iisdem resilire; nam evadunt sponsalia puberum, quæ perpetuam gignunt obligationem. Animadvertunt autem doctores, non requiri positivam ratihabitionem sed sufficere solum silentium seu taciturnitatem. Nam pubertate adveniente, non contrahuntur nova sponsalia, et per consequens non requiritur novus consensus positive emissus, sed continuant vigere eadem sponsalia, quæ valide fuerant contracta in impubertate. Pressius, pubertate adveniente, conceditur privilegium resiliendi ab obliga-

tione valide suscepta. Igitur qui tacet nec declarat se velle uti privilegio quod habet, censetur eidem renunciare voluisse.

### De matrimonio impuberum.

9. Quæritur quæ ætas requiratur ad matrimonium contrahendum.

Matrimonium in jure Romano consideratum est velut actus solemnis et publicus; hinc in contrahentibus leges Romanæ requirunt pubertatem. Potior etiam assistebat ratio ut pubertas requireretur, quia nempe in matrimonio traditur jus mutuum in corpus in ordine ad generationem prolis, quod nondum ab impuberibus actu possidetur. Juri civili adhæsit jus canonicum, et statuit ut ad matrimonium contrahendum requiratur pubertas. Jam vero pubertas a Legibus Romanis æstimata est juxta generalem experientiam, qua cognitum est mulieres pubescere anno 12º. et viros anno 14º. Quare ad contrahendum matrimonium pro viris requisitus est annus 14<sup>mus</sup> completus, pro mulieribus autem annus 12<sup>mus</sup> pariter completus.

Hanc dispositionem Juris civilis suam fecit legislatio Ecclesiastica, prout constitutum est in capp. 10. et ult. h. t.

10. Verum jus nostrum in cap. 3. h. t., posse quidem verificari pubertatem vel ante ætatem superius adsignatam vel etiam longe post eandem ætatem dicit. Quare animadvertit Isidorus in eodem cap. 3. pubertatem juxta rei veritatem æstimandam esse ex potentia generandi. Ex qua animadversione factum est ut Jus Ecclesiasticum admitteret utique dispositionem juris Romani, circa ætatem habilem ad matrimonium contrahendum, tanquam regulam generalem, sed respexit etiam ad casus particulares, in quibus potentia procreandi prolem, verificatur ante ætatem designatam. Hinc jus canonicum in cap. 9. h. t. generalis regulæ exceptionem posuit, *nisi malitia suppleat ætatem*; idest nisi quis ante pubertatem, non solum intelligat quod agit, sed etiam ex habitu corporis pubertatem ostendat; et generare jam possit. Igitur in jure canonico inductum est impedimentum dirimens, quod venit nomine ætatis, per quod cautum est, nullum esse matrimonium si contrahatur ante annos completos pubertatis nisi in casu aliquo particulari malitia suppleat ætatem.

11. Quæritur ex quo jure procedat hoc impedimentum ætatis.

Si impedimentum ætatis consideretur pro integro illo lapsu annorum, qui decurrunt ante annum 14<sup>m</sup>. vel 12<sup>m</sup>. et præcise consideratur impedimentum ad contrahendum in ætate infantiae, profecto impedimentum hujusmodi est juris naturalis, quia ex jure naturali ad contrahendum matrimonium requiritur ut contrahentes intelligant quid agant.

12. Verum si hoc impedimentum restringatur ad ætatem, in qua adest quidem usus rationis, sed deest habitus corporis, sub quo respectu proprie accipitur impedimentum ætatis, dicendum est impedimentum hujusmodi esse solum juris Ecclesiastici. Nam ad matrimonium contrahendum ex jure naturæ non requiritur actualis capacitas generandi, sed sufficit ut futura sit aliquando. Hinc impotentia tum *absoluta* tum *relativa* ut dirimat matrimonium jure naturæ, necesse est ut sit *antecedens* matrimonium et *perpetua*. Quare si ætas impubertatis ob defectum potentiae generandi, matrimonium dirimit, impedimentum hujusmodi procedit ex positiva dispositione Juris Ecclesiastici.

13. Ex quo duo sequuntur 1<sup>o</sup>. impedimentum ætatis distingui ab impedimento impotentiae, 2<sup>o</sup>. sequitur in hoc impedimento dispensare posse Summum Pontificem qui id ex gravi et legitima causa concedere potest, ut impuberes, qui tamen completum usum rationis habeant matrimonium valide et licite contrahant, arg. c. 2. h. t., ubi dispensatio ab impedimento ætatis admittitur, solummodo ex aliqua urgentissima necessitate interveniente.

Consulendum est enim imbecillitati ætatis impuberum, qui tam facile non sunt admittendi ad contrahendam perpetuam obligationem, ne eos post susceptam obligationem facile pœniteat et ex matrimonio infelices exitus sequantur.

14. Quæritur utrum matrimonium de præsentibus ab impuberibus nulliter contractum obtineat vim sponsalium.

Diximus *nulliter* contractum, idest contractum ab illis, qui habitu corporis incapaces sunt ad generandum, secus enim valeret matrimonium.

Quo posito matrimonium contractum ab illis, qui actu puberes non sint, non valet uti matrimonium de præsentibus, valet vero ex juris interpretatione ceu sponsalia de futuro. Ita in cap. 14. h. t. cui consonat cap. un. eod. t. in VI<sup>o</sup>. § *Idem quoque*. Et ratio exhibetur a Bonifacio VIII. Videlicet actus positus, si non valet uti positus est, valet tamen uti possunt illi, qui actum ipsum posuere.

Idest contrahere matrimonium non poterant impuberes; igitur matrimonium non valet; poterant vero sponsalia contrahere, ergo consensus positus inducet obligationem et effectus sponsalitii contractus. Valet scilicet principium legis 27. ff. 8. *De Pactis* § 7. *si actus non valent ut ago, valent meliori modo quo possint*. Frustra enim agere nemo præsumitur.

15. Verum si impuberes voluissent absolute contrahere matrimonium de præsentibus, et expresse exclusissent sponsalia de futuro, contractus invalidus sub specie matrimonii, esset invalidus etiam ratione sponsalium. Actus enim agentium non operantur ultra voluntatem eorum l. 19. ff. *Si certum putatur*. Hoc in casu potest invocari principium cap. 23. *De officio Deleg.* *Quod voluit non potuit, et quod potuit non voluit*. Cf. Gerald. Juris Pontif. parte 2<sup>a</sup>. section. 672.

16. Tandem animadverti debet juxta resolutionem Sacræ Congreg. Concilii 10. Martii 1583, matrimonium nullum ob impedimentum ætatis, si convalidari velit, illud contrahendum esse iterum, servata forma Tridentina, quamvis prius eadem forma servata fuerit. Nam ætas est impedimentum, quod vel est publice cognitum, vel facile cognosci potest in populo Christiano.

### TITULUS III.

#### De clandestina desponsatione.

1. Matrimonium dupliciter præcipue aut etiam tripliciter potest esse clandestinum 1<sup>o</sup>. si contrahatur absque denunciationibus de quibus sermo est in cap. ult. h. t. 2<sup>o</sup>. si contrahatur absque præsentia Parochi et testium, juxta formam substantialem statutam a Concilio Tridentino in c. 1. sess. 24. *De Ref. matrim.* 3<sup>o</sup>. etiam, si contrahatur absque illis solemnitatibus, quæ ad honestatem actus requiruntur juxta sacram Liturgiam. Sit

#### I.

##### De denunciationibus, quæ matrimoniis præmittuntur.

2. Jam antiquitus mos erat, ut presbyteri diligenter inquirerent utrum impedimentum extaret inter eos, qui contracturi essent matrimonium. Verum in Gallia consuetudo invaluerat proclamandi in Ecclesia futurum, inter determinatas personas matrimonium contrahendum ut si quis fidelis notitiam haberet alicujus impedi-